

Adjuvante Triuno!
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

44.

Exhibens

SUCCINUM,

Physicè & Medicè consideratum,

quàm

Divinâ Fortunante Gratiâ

IN ALMA AC PERANTIQVA HIERANA,
GRATIO SO AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS CONSENSU,

Sub Umbone

*Viri Prænobilissimi, Excellentissimi, Amplissimi
ac Experientissimi,*

DN. JUSTI VESTI,

MED. DOCT. PATHOL. PROFESS. PUBL. &c.

FACULT. MED. ASSESSORIS GRAVISSIMI
ac p. t. DECANI SPECTATISSIMI,

Dn, Præceptoris, Patroni ac Promotoris
mei omni reverentiâ colendi,

PRO LICENTIA,

*Summos in Medicina honores ritè impetrandi, pu-
blicæ & placidæ Eruditorum censuræ
sistit*

JOHANNES ESAIAS Silberschlag /

Erfurtenfis,

In Auditorio Majori horis consvetis,

Ad diem 1. Junij Anno M DCCII.

Erfordiz, Charactere Kindlebiano.

44

25.

POST DEUM

T. O. T. M.

VIRO MAGNIFICO,
PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTIS-
SIMO atq; EXPERIENTISSIMO,

DOMINO

CHRISTIANO
VATERO,

Medicinæ Doctori & in Academia VVittebergenſi
Pathologiæ Profefſori celeberrimo, Phyſico territo-
riali famigeratiſſimo, nec non Natur. Curioſor.
Colleg. &c.

*Patrono ſuo, Præceptori ac Fautori,
Hancce inauguralẽ Diſſertationem devotã ſub-
miſſione in ulteriorem ſtudiorum ſuorum com-
mendationem*

Offert & conſecrat

J. E. Silberſchlag.



Q. D. B. D.

PROOEMIUM.

Questio inter Eruditos, præ primis Medicos, movetur de quibusdam medicamentis, an Regno Vegetabili, an vero Minerali suos referant natales? ad quæ pertinet quoque Succinum, de quo scribit *Schræderus in Pharmacop.* quod sit *resina terra & arborum vetustarum optimè digesta*, hisque verbis affirmat, originaliter ex arboribus provenire & ad vegetabilia pertinere. Huic quoque opinioni adstipulari videtur *Frid. Hoffmann. in Clarv. pharmac.* sequentibus: *Hanc sententiam nostram statuminat hujus [scil. Succini] uberior proventus in illis locis, ubi pinus & Terebinthina in copia crescunt, quod argumento esse potest, à simili quadam resinosa substantia, qualis in arboribus reperitur, per terram diffusa, nasci &c.* Verum, fi

A 2

304 F

si res accuratius examinatur, statuendum potius erit, succinum purum esse minerale, siquidem vegetabilia omnia suam resinam originaliter à terra habent, & succinum sub maris fundo & circa littora ejus, imò in profundissimis terris, ubi nullæ planè arbores dantur, in taliq̃ue etiã copia reperitur, cui neq̃ue Pini, neque aliæ plantæ sufficiunt, vid. *Excellentiss. Dn. Doct. Vateri, Profess. in Acad. Witteberg. celeberr. Præceptoris olim mei & Patroni summè de venerandi Physiolog. Experimental. Sect. V. cap. 5. Quæstion. 1.* Idem quoque attestatur *Dn. M. Philip. Jacobus Hartmanni Historiâ Physicâ & civili Succini Prussici.* Cùm autem succinum in Arte Medica multa & egregia suppeditet medicamenta, salutaesq̃ue in corpore humano edat effectus ad diversorum & sæpius desperatorum morborum medelam, de hac materia dissertationem Inauguralem, eã, quã fieri poterit, brevitate, conscribere, ejusq̃ue naturam ac usum medicum examinare, animum induxi, Deum Ter Optimum, Terq̃; Maximum submissè venerans atq̃ue adorans, ut meis conatibus clementissimè assistere velit!

Theſ.

Thef. I.

Vocabulum Succini primitivum est, nisi illud a succo (cum bituminosus sit terræ succus) derivare velis; vocatur etiam Glessum, quod instar vitri pelluceat, juxta *Cornel. Tacit.* Ambra citrina Arabibus, resina terræ. Græcè Electrum, Chryseletrum, & peregrinâ voce Carabe, siquidem *Gabelkoferus in notis ad Baccium de Gemmar. natur. cap. 9. pag. 84.* hujus appellationis rationem tradit, quod Persicâ dictione *Carabe*, h. e. paleas rapiens, vocetur succinum. Idem fermè docet *Borrichius linguâ Pharmac.* Addens simul, quod *Avicenna* Kahreba dicatur, & Græci illud videantur ita appellasse, quod *καρπασίων*, i. e. capitis gravedinem, tollat. Germanicè nuncupatur *Agstein* / q. f. *Mugenstein* / *Bernstein* / vel *Bornstein*: Nec ulli alii rei vox Succini, quantum memini, tribuitur, nisi quod *Gagates* à quibusdam Succinum nigrum perperam dicatur & vitrum ignis flavum ex gis vitæ præparatum, succinum ignis quoque nuncupetur.

Thef. II.

Est autem Succinum succus bituminosus & resinofus purior, à spiritu acido subtilissimo coagulatus & induratus, in terris maritimis, salinis & bituminosis potissimum nascens, variorum usus, in primis medico, inserviens. Succum bituminosum & resinofum esse, probat ejus unctuositas, & quod liquefeat, si igni admoveatur, quod etiam in maris superficie interdum demum coaguletur; hinc diversa infecta, ut muscæ, aranæ &c. aliquando in succino conspiciuntur. Sic quoque carbonibus

nibus injectum, aut accenditur, aut fumum admodum fragrantem & svavem spargit instar aliarum resinarum. nec non oleum subtile & spissum, destillationi concreditum, in magna copia fundit. Solum quoque ignis adminiculo ita solvi potest succinum, ut illo cadavera obduci queant, quod *Morbos.* annoravit.

Thef. III.

Admodum autem probabile esse videtur, ad succini coagulationem aërem aliquid conferre, cum in superficie maris interdum concresecat, insectaque includat. Verum quoniam ingentia interdum frusta de succino ex terra in Prussia effodiuntur, uti illud videre licet in superius laudata *Historia Succini M. Hartmanni*, aliud coagulationis principium, nimirum acidum subtile, erit statuendum: Hoc autem in succino reperiri, probat ejus Θ volatile, quod acidæ est profapia. Constare insuper atque conflare Succinum expuriore & magis digesto terræ bituminosæ succo, docet illius pelluciditas, & quod accensum, svavem & fragrantem spargat odorem, vel destillationi concreditum, non tantum recrementi terrei post se relinquat, quam gagates & carbo petrae: In hoc enim succinum præter duritiem à lapidibus hisce differt bituminosis.

Thef. IV.

Loca & provincias, quibus veneranda antiquitas generationem Succini tribuit, secundum seriem alphabeti recenset antea laudatus *Hartmannus*, diversasque elidit opiniones ac dirimit controversias circa hanc materiam ortas; simul etiam addit, quibusnam in locis hodie adhuc reperitur, vid. illius *Histor. Succini*. Quod autem apud nos potissimum est in usu, & quo pluri-

plurimi Europæi populi utuntur, ad maris Balthici lit-
 tora in Prussia & huic vicina Pomerania reperitur, ubi
 ortis procellis à mari ejicitur & à piscatoribus colligi-
 tur: Insuper etiam in Prussia & terris modò argilla-
 ceis, modo lapidosis, modo arenosis eruitur, uti supe-
 rius commemoratum, ut verisimile sit, totum istum
 tractum ejusmodi succo bituminoso esse refertum, vel
 succineum obrinere fundum, de quo *Beroaldus* in car-
 mine & laudibus Germaniæ hæc habet:

*Et dives pecoris, felixque gemme,
 Quod Glessum vocitant tui parentes,
 Electrum Attica, Succinum Latini.*

In variis enim aliis Germaniæ provinciis ex terra effo-
 ditur, ut in Moravia, Silesia & prope urbem Islebiam,
 quod à Succino Prusico nec colore, nec odore, nec
 perspicuitate differt.

Thef. V.

Est autem Succinum Prusicum triplex, album,
 flavum & nigrum, quod ultimum in primis viliori ven-
 ditur pretio, nec à Medicis usurpatur: Album ut ma-
 gis digestum præfertur flavo, utrumque sit sincerum
 & fragrantem ac suavem spargens odorem, quanquam
 juxta *Glauberum Libr. de Furn. Philosoph.* per artum
 Suis impurum arte posse corrigi; sed tunc duritiem
 naturalem deponit, nec durat, nisi in loco frigido aut
 moderatè saltem calido. *Etmüllerus in Colleg. Phar-
 mac. in Schröder, cap. 30.* de Succini præstantia an-
 notavit sequentia: Communiter album præfertur flavo,
 quod tamen erroneum existimo, quoniam albus color in
 suc.

succino non est natiuus, sed est tantum aduentitiuus & aduenit Succino, quando eidem adhuc liquido in mari fluctuanti intermiscet sese salsedo aque marinae, quae salsedo impregnans succinum, tandem colorem albicantem ipsi tribuit, id quod patet ex encheirysi Autoris (Frid. Hoffmanni in clavi) qui docet modum, quo beneficio coctionis & digestionis in aqua salsa succinum flavum converti possit in album, non secus ac cera flava beneficio salis in albam mutari potest &c. adducit etiam Daeringium de Balsamis & Wiggandum de Succino.

Thes. VI.

Autor etiam epistolae cujusdam MStae ex Prusia ad Amicum transmissae de Succino haec habet: *Fulvum & transparens apud Italos majori habetur in pretio, cum candidum rarum ipsis sit & penè incognitum, quod tamen incolae harum terrarum propter raras & eximias vires maximi faciunt. Candidum pretiosius & carius est reliquis ob raritatem. Medici hujus urbis succinum candidum non modo pestilentibus contagiis praesentaneum antidotum, sed venenis etiam quibuslibet alexipharmacum esse (veneno enim illitum si fuerit, stridere ajuunt) experientia constare, affirmant. Succinum omne progressu temporis candidum fieri posse judicatur, diutinaq; mora ab aquis marinis albescere, salsedine harum ceu elaboratum & fecibus exteris ac elotis magis depuratum.*

Thes. VII.

Datur insuper etiam Succinum variegatum (*Bunter*) quod non reticendum, ubi flexus miro ingenio ludentis Naturae adeo variè se circumagunt, ut ferè omnia ejus generis succina literata conspiciantur, vid. *Hartmann, in Historia Succini*, qui characteres Arabicos

bicos in eo se vidisse testatur. Frustum sibi, in quo litera D. perspicuo naturæ ductu delineatæ *Morbos. in Epistol. ad Langelottum* deprædicat: Tale autem Succinum, variis characteribus pictum, à curiosis saltem inter rariora naturæ producta observari, nec ad usum medicum trahi solet.

Thef. VIII.

Usus Succini imprimis flavi varius est, siquidem à quàm plurimis artificibus ex eo elaborantur & conficiuntur globuli pro monilibus, hominum statuæ, cochlearia, candelabra &c. quæ autem ad Scopum meum nihil conferunt, nisi quod globuli in catarrhosis subjectis usui Medico inserviant quandoque, de quibus in sequentibus fusius agetur: Medica itaque succini consideratio in thesibus sequentibus pro virili enodabitur. Licet autem Medici quàm plurimi album præferant flavo, attamen promiscuè utramque speciem, præprimis in elaborationibus medicamentorum, usurpari posse arbitror. Succino itaque in genere vis calefaciendi, exsiccandi, roborandique tribuitur ac pro singulari cephalico & hysterico habetur; unde in Epilepsia, Apoplexia, Vertigine, Spasmo, Lethargo, catarthis, suffocatione hypochondriaca & Hysterica salutariter usurpatur juxta Auctores.

Thef. IX.

Non autem à vero abluendi arbitror, si laudatæ modo succini virtutes distingvantur tam ratione præparationis, quàm particularum illud constituentium. Præparata in Officinis ex eo prostant: (1.) Succinum præparat. (2.) Oleum Succini album & rubr. (3.) Balsamus, (4.) Ævolatile, (5.) Liqvor C.C. succinatus, (6.)

B

MPil.

MPil. de Succino Craton. (7.) Balsam. ꝑis succina-
 rus, (8.) Essentia Succini, (9.) Trochisci de Carabe:
 Nec non alia quoque composita simul ingreditur. Ut
 autem succinum in substantia adhibitum solâ præmissâ
 præparatione ob particulas bituminosas & resinosas
 calefacere possit (Evolat enim & oleum in eo materia-
 liter saltem continentur) illæ tamen à terreis ita sunt
 temperatæ & dispositæ, ut succinum si non tempera-
 tum, saltem leniter calefaciens existat medicamentum
 ac modicè sudorem movens. Non video propterea, si
 in substantia adhibeatur, quid in Apoplexia & Lethar-
 go efficere queat: In aliis insuper recensitis affectibus
 suam ipsi laudem non detraho,

Thef. X.

Juxta virtutem modicè calefaciendi & sudorem
 movendi, ob particulas tam resinosas, quàm terrestres,
 humores superfluos imbibit, coagulatos & acres tem-
 perat, robur sive tonum naturalem partibus laxiori-
 bus restituit; hinc roborare dicitur, in capitis impri-
 mis affectibus à nimia humiditate & humorum ac va-
 porum acredine oriundis habetur pro specifico. Anti-
 catarrhalia itaque succinum præparatum ingreditur
 medicamenta dictas ob rationes & sumo cum successu
 in tussi humida, ophthalmia & vertigine usurpari,
 quod aliquoties *Excellent. Dn. Præses* est expertus.
 Virtus ejus antepileptica non ignota fuit *D. Michaëlis*,
 propterea illius ingreditur specificum Cephalicum,
 aliosque pulveres antepilepticos.

Thef. XI.

Ad Spasmodicos morus sedandos succinum in
 substantia adhibitum egregium quoque est, humores
 acres



420
 acres temperando, spirituumque irregularem motum
 sedando; hinc in dolore colico & variis aliis intestino-
 rum doloribus, asthma convulsivo, passione hyste-
 rica & similibus singulare præstat auxilium. In cordis
 palpitatione plurimum confert, hanc ob causam vete-
 res *Electuario de gemmis* admiscuerunt: Calculum etiam
 & urinam leniter pellit, hinc Ischuriæ medetur. Ute-
 rinum est egregium, cum Menses aliasque impurita-
 tes expellat; propterea in partu difficili non sine succes-
 su felici adhibetur, attestante illud *Antomo le Grand* in
 Tract. Curios. perscrut. pag. 222. verbis sequentibus:
Multis experimentis comprobari audio, succinum parturi-
entibus drachmæ semis pondere ex vino albo potui datum
mirè partum accelerare, hoc etiam facit ejus oleum, si gutta
tantum in Aqua Verbene parturienti propinatur.

Thef. XII.

Cum acres, tenues ac serofosos temperet ac imbibat
 humores, non solum in variis catarrhorum speciebus
 utiliter adhibetur, sed in aliis quoque fluxionibus, ut
 Gonorrhœa, Fluore albo mulierum, Diarrhœa, Lien-
 teria & Dysenteria summo cum successu adhiberi po-
 test. Sic Succinum primum & primarium est ingre-
 diens *pulveris dysenterici Crollii*. Virtus ejus bezoar-
 dica superius Thef. V. fatis est deprædicata, quæ quo-
 que constat *ex pulvere bezoardico Sennerti*, quem simul
 ingreditur, uti & alia Antidota veterum.

Thef. XIII.

Usus Succini [sc. erudi] externus est varius.
 Primò grossomodo pulverisatum & carbonibus in-
 spersum infervit pro suffitu ad caput roborandum, ca-
 tarrhos discutiendos; hinc adhibetur ejusmodi suffi-
 tus in Odontalgia, Otalgia, Tinnitu aurium, &c. cum
 etiam

etiam alexipharmacum sit Succinum, ejus fumus corrigit aërem tempore pestis & aliis grassantibus febribus malignis ac contagiosis. Ex globulo Succini accenso fumus naribus inflatus Epilepticos, Syncopticos & Apoplecticos odore suo fragrantissimo revocat & excitat. Globuli de collo suspensi catarrhosos humores aut in se recipere, aut discutere existimant quam plurimi, de hac materia plura qui desiderat, perlustret Scrutinium Amuletor. Medicorum *Jacobi Wolffii*, qui diversos allegat Autores.

Thef. XIV.

Destillatio Succini largitur præ aliis oleum Officinis & \ominus volatile. Peragitur autem destillatio vel sine additione, vel cum additione aliarum rerum, v. g. Silicum contusorum, arenæ, calcis vivæ &c. ex retorta terrea vel vitreâ igne aperto per gradus adhibito. Exstillat primò phlegma; deinde oleum subtile rubicundum, & demum crassum cum sale volatili; Oleum si aliquot vicibus rectificatur, evadit album. \ominus volatile sublimatione rectificatur & à particulis oleosis ac empyreumaticis liberatur. Oleum crassum, nigricans & foetidum si unâ cum aceto super caput mortuum remansens rectificatur, oleum destillat primo instar aquæ limpidum, & quod sequitur, flavum aut rubrum est, vid. *Clavis Pharmac. Frider. Hoffm. in Schröderum*. Eligere solent pro usu interno Medici oleum album, & rubrum externè à quàm plurimis tantum adhibetur, quanquam nullus committatur error, si promiscuè internè usurpentur.

Thef. XV.

Oleum Succini internè usurpatum majorem cale-

calefaciendi vim obtinet, instar aliorum oleorum destillatorum, quam Succinum præparatum; hinc in affectibus frigidis, i. e. à torpore Spirituum & materia viscida oriundis, imò in omnibus recensitis affectibus, ubi nulla caloris suspicio adest, commodè usurpatur ad gt. ij. vel iij. Ob Particulas enim summe tenues quam optime penetrat in vascula tenuiora, materiam obstructentem viscosam resolvit, vaporosam ac flatulentam discutit, spasmodicas convulsiones sedat, ut maximo perè conducatur in Apoplexia, Paralyti, Epilepsia, vertigine, Odontalgia & quavis catarrhi specie, asthma convulsivo, tuffi humida, colico & nephritico dolore, Mensium obstructione, passione hysterica &c.

Thef. XVI.

Externus olei Succini usus quoque est creberrimus, ubi resolvendum, discutiendum, roborandum & dolores à motibus fibrarum spasmodicis orti sunt leniendi: Ingrèditur propterea emplastra & unguenta ad Paralytin, tumores oedematosos & scirrhosos, dolorem colicum & nephriticum, odontalgiam, urinam movendam &c. applicanda. Oleum Succini gossypio exceptum auribus quoque imponitur in otalgia, auditu difficili, & aurium tinnitu, ad vaporosam & acrem materiam dissipandam. Ex hoc oleo etiam cum *ol. Nuc. Moschat. expresf.* vel cera alba fit balsamum, quod naribus applicatur præservationis gratiâ ab Apoplexia, aliisque capitis affectibus gravioribus superius recensitis. Balsamum etiam caput & memoriam roborat, it. præservat tempore pestis ab injuria aëris, miasmate pestilentiali infecti.

B 3

Thef.



Thef. XVII.

Sal volatile licet admodum sit subtile ac penetrans, in superius tamen recensitis affectibus quam plurimis non convenit, cum acidum sit; hinc uti eo solemus præservationis gratiâ tempore pestis, dosis ejus est scrup. ꝑ. Si in Spiritu C.C. solvitur *Liquor* evadit C.C. *succinatus* salsus, volatilis & admodum penetrans, qui diaphoreticum constituit præstantissimum in omnibus morbis, in quibus humores spissi ac glutinosi sunt attenuandi & per sudorem eliminandi. In Febribus etiam inflammatoriis, à concremento sanguine oriundis, sub initium ad sudorem movendum, antequam magnus exoriatur æstus, adhiberi potest, ita, in intermittentibus ante paroxysmum. In febribus verò biliosis & malignis, ut in quibus sanguis jam tum nimis est resolutus, ejusmodi volatilia non conveniunt: Ad sudorem movendum solet vulgò ad drachm. ꝑ. usurpari. Alioquin tanquam resolvens & alterans, in quovis affectu, à torpore spirituum & canaliculorum obstructione productio, ut Apoplexia, Paralyssi, incipiente Hydrope &c. in minori quantitate sumtus, singulare præbet auxilium. In Fluore albo mulierum, aliisque affectibus uterinis *Liquor C.C. succinat.* singulari modo etiam deprædicatur.

Thef. XIIIX.

MPil. de succino Cratonis in affectibus potissimum usurpatur capitis, ubi purgatione opus est; cum autem leniter tantum purget, fortius quoddam purgans, v. g. *Extract. Colocynth. Resin. jalapp. Scammon. &c.* addi debet pro stimulo ad pituitosos & catarrhales humores educendos. *Balsamus ꝑ. succinatus* præter com.

communes (resolvendi scil. atque discutieudi) virtutes, quas succinum possidet, egregius est in tussi quavis humida, it. in Phthisi ad paucas guttas adhibitus: Hoc tamen notandum, quod si hectica jam tum adfit, nullatenus conveniat. Ad ulcera etiam & vulnera interna consolidanda cum aliis balsamicis, ut *Essent. Hyperic. s. Bals. Peruv.* in decoctis vulnerariis commodè usurpatur. *Sylvus* ad tumores podagricos, aliosque arthriticos pallidos, ex acido cum phlegmate oriundos, discutieudos & resolvendos externe quoque commendat.

Thef. XIX.

Elegantissimum medicamentum *Essentia Succini* est, cujus præparationes sunt diversæ, nec in omnibus officinis ejusdem bonitatis notâ venalis est. *Frid. Hoffmann.* in *Clav. Pharmac.* hæc habet: *Si volueris Essentiam s. Tinct. ex Succino elicere, vel in flavam solutionem redigere, necesse est, ut Spir. Vini rectificatissimus sumatur, alias inauspicatò hujus præparationem aggredieris, & postmodum leni colore digeris, secus faciendo oleum & operam perdes.* Cum autem flava hæcce solutio s. tinctura non sufficienter particulis succini resinosis sit impræparata, alii succino in pulverem redacto parum de *Spir. Fri* affundunt, aut Tincturâ *Fri* humectant, aut *Sal. Fri* addunt, antequam *spir. vini* affundatur, ut alcali ejusmodi acidum subtile coagulans in succino infringat, oleosas & balsamicas moleculas resolvat atque recludat, quò eò melius eadem menstruo auffuso communicari queant. Hoc modo essentia succini præparata admodum rubicundum obtinet colorem, majoremque prioris efficaciam; in convenienti & appropriato vehiculo ad drach. ꝑ. propinatur.

Thef. XX.

Thef. XX.


Hæc essentia nobile est medicamentum in omnibus affectibus capitis & nervorum, exceptâ febrili constitutione; vertiginem enim discutit, caput ac memoriam roborat, catarrhos resolvit, Apoplexiæ, Paralyfi & Epilepsiæ medetur, suffusioni oculorum & visus debilitati succurrit, tussim humidam & Asthma pituitosum sanat, in Lipothymia, Palpitatione cordis, Cardialgia, Ventristorminibus variis, verbo in quavis spasmodica convulsione egregiam præstat operam. Hystericum & emmenagogum est egregium, nec non calculum & urinam leniter pellit.

Thef. XXI.

Trochisci de Carabe adhuc restant, qui cum plurima admittant ingredientia styptica & opium, juxta Dispensatoria sangvinem excernentibus, tabidis, purulenta exspuentibus, cœliacis & dysentericis auxiliantur, & sangvinem undecunque emanantem supprimunt; rarius autem à recentioribus usurpantur. Quod succinū varias ingrediatur compositiones, constat partim exsuperius adductis, partim etiam in Dispensatoriis videri licet. Deo Ter Opt. Terque Maximo immensas persolvo grates, quod in conscribendis hæc thesibus Inauguralibus gratiâ suâ mihi assistere voluerit: Æterno Numini sit Laus, Honor & Gloria!

F I N I S.

13 (o) 56



01 A 6603

ULB Halle


003 092 291


3



1003







Adjuvante Triuno!
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
Exhibens

SUCCINUM,

Physicè & Medicè consideratum,

quàm

Divinâ Fortunante Gratiâ
IN ALMA AC PERANTIQUA HIERANA,
GRATIOSO AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS CONSENSU,
Sub Umbone

*Viri Prænobilissimi, Excellentissimi, Amplissimi
ac Experientissimi,*

DN. JUSTI VESTI,

MED. DOCT. PATHOL. PROFESS. PUBL. &c.
FACULT. MED. ASSESSORIS GRAVISSIMI
ac p. t. DECANI SPECTATISSIMI,

Dn, Præceptoris, Patroni ac Promotoris
mei omni reverentiâ colendi,

PRO LICENTIA,

*Summos in Medicina honores ritè impetrandi, pu-
blica & placide Eruditorum censuræ
fifit*

JOHANNES ESAIAS /

Erfurtensis,

In Auditorio Majori horis consvetis,
Ad diem 1. Junij Anno M DCCII.

Erfordiz, Charactere Kindlebiano.